Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 915
Quelle:
Copyright:

Fas, ſimulachra, deum, probat, execratur, adorat,
Odit, amat, reprobat, crimina, iura, nefas.

Sub finem, ubi Poeta Urbes adloquitur, 6. Diſticha, quae maxime ad Hiſtoriam faciunt, in Codice deſunt; claudit tamen ille cum Impreſſis:

Explicit expletum thobiam qui legit inſtet
Thobiam merita religione ſequi.

Adi, ſi lubet, *Fabricii Bibl. med. Lat.* L. XII. p. 54. et *Leyſeri Hiſt. Poet. med. aevi.* p. 765.

III. *fol.* 61. p. 2. *Hic incipit uita pilati metrica.* Praeambulum ſatiricum incipit:

Si veluti quondam ſcriptor uel ſcripta placerent
In noua dicenda multi uelud ante ſtuderent.
Sed ſic ſub uicio cunctorum corda tenentur,
Ut ſi qui ſcribant quaſi delirare probentur &c.

Hiſtoria vero nugatoria:

Vrbs fuit inſignis ueteres hanc conſtituere
Moganus atque ſcia flumen riuusque dedere
Nomen et inde fuit primum moguncia dicta &c.

Ibi igitur e concubina *Pyla Atus* Rex *Pilatum* procreavit, qui poſt multa ſcelera αὐτοχεὶς et in *Rhodanum* praecipitatus naves ibi in profundum trahebat, dum eum Clerus Populusque *Lugdunenſis* piſcarentur, interque *Alpes* abjicerent, quae Fabula fortaſſe *Monti* et *Lacui Pilati* nomen dedit. De Autore Poematii ita in Praeambulo:

Ergo Scriptoris nomen patriamque tacebo
Nec ſine Scriptore laudari ſcripta dolebo.

Itaque et *Leyſerum ſuprac.* latuit, qui p. 2125. Exemplum mſ. *Bibl. Helmſtad.* excitat. Noſtro ſubſcriptum: *Finis eſt anno domini 1453. in 8ua epiphanie.*

IV. *fol.* 66. p. 2. Congeries Verſiculorum, quorum primi de diverſis *Animalium* vocibus, alii de Origine *Teutonicorum*, alii de Origine *Francigenarum*, alii demum variarum Sententiarum paraphraſtici, puta in illud: *Vbi theſaurus tuus, ibi eſt et cor tuum.* Item in illud: *Praua colloquia corrumpunt bonos mores* &c. Omnes invita Minerva protruſi.

V.